

## CAPUT CCXXXIII.

*De oratione Christi.*

Quia vero oratio est desiderii expositiva, ex diversitate appetituum ratio sumi potest orationis quam Christus imminente passione proposuit dicens, Matth. 26, 39: "Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu." In hoc enim quod dixit, "Transeat a me calix iste," motum inferioris appetitus et naturalis designat, quo naturaliter quilibet mortem refugit, et appetit vitam. In hoc autem quod dicit, "Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis," exprimit motum superioris rationis omnia considerantis prout sub ordinatione divinae sapientiae continentur. Ad quod etiam pertinet quod dicit, "Si non potest," hoc solum fieri posse demonstrans quod secundum ordinem divinae voluntatis procedit. Et quamvis calix passionis non transivit ab eo quin ipsum biberit, non tamen dici debet quod ejus oratio exaudita non fuerit: nam secundum Apostolum ad Hebr. 5, 7, in omnibus "exauditus est pro sua reverentia." Cum enim oratio, ut dictum est, sit desiderii expositiva, illud simpliciter oramus quod simpliciter volumus: unde et desiderium justorum, orationis vim obtinet apud Deum, secundum illud Psalm. 9, 17: "Desiderium pauperum exaudivit Dominus." Illud autem simpliciter volumus quod secundum rationem superiorem appetimus ad quam solam pertinet consentire in opus. Illud autem simpliciter oravit Christus ut Patris voluntas fieret, quia hoc simpliciter voluit; non autem quod calix ab eo transiret; quia nec hoc simpliciter voluit, sed secundum inferiorem rationem, ut dictum est.

## CAPUT CCXXXIV.

*De sepultura Christi.*

Consequuntur autem hominem ex peccato post mortem alii defectus et ex parte corporis, et ex parte animae. Ex parte corporis quidem, quod corpus redditur terrae, ex qua sumptum est. Hic autem defectus corporis in nobis quidem secundum duo attenditur: scilicet secundum positionem, et secundum resolutionem. Secundum positionem quidem, inquantum corpus mortuum sub terra ponitur sepultum; secundum resolutionem vero, inquantum corpus in elementa solvitur, ex quibus est

compactum. Horum autem defectuum primum quidem Christum pati voluit, ut scilicet corpus ejus sub terra poneretur; alium autem defectum passus non fuit, ut scilicet corpus ejus in terram resolveretur: unde de ipso Psal. 15, 10, dicit: "Non dabis sanctum tuum videre corruptionem," idest corporis putrefactionem. Hujus autem ratio est, quia corpus Christi materiam sumpsit de natura humana, sed formatio ejus non fuit virtute humana, sed virtute Spiritus sancti, et ideo propter substantiam materiae subterraneum locum qui corporibus mortuis deputari consuevit, voluit pati: locus enim corporibus debetur secundum materiam praedominantis elementi: sed dissolutionem corporis per Spiritum sanctum fabricati pati non voluit, quia quantum ad hoc ab aliis hominibus differebat.

## CAPUT CCXXXV.

*De descensu Christi ad inferos.*

Ex parte vero animae sequitur in hominibus ex peccato post mortem, ut ad infernum descendant non solum quantum ad locum, sed etiam quantum ad poenam. Sicut autem corpus Christi fuit quidem sub terra secundum locum, non autem secundum communem resolutionis defectum; ita et anima Christi descendit quidem ad inferos secundum locum, non autem ut ibi poenam subiret, sed magis ut alios a poena absolveret, qui propter peccatum primi parentis illic detinebantur, pro quo plene jam satisfecerat mortem patiendo: unde post mortem nihil patiendum restabat, sed absque omni poenae passione localiter ad infernum descendit, ut se vivorum et mortuorum liberatorem ostenderet. Ex hoc etiam dicitur quod solus inter mortuos fuit liber, quia anima ejus in inferno non subiacuit poenae, nec corpus ejus corruptioni in sepulcro. Quamvis autem Christus descendens ad inferos, eos liberavit qui pro peccato primi parentis ibi tenebantur, illos tamen reliquit qui pro peccatis propriis ibidem poenis erant addicti: et ideo dicitur momordisse infernum, non absorbuisse, quia scilicet partem liberavit, et partem dimisit. Hos igitur Christi defectus Symbolum fidei tangit, cum dicit: "Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus, descendit ad inferos."

## CAPUT CCXXXVI.

*De resurrectione, et tempore resurrectionis Christi.*

Quia ergo per Christum humanum genus liberatum est a malis quae ex peccato primi parentis derivata erant, oportuit quod sicut ipse mala nostra sustinuit ut ab eis nos liberaret,



ita etiam reparationis humanae per ipsum factae in eo primitiae apparent; ut utroque modo Christus proponeretur nobis in signum salutis, dum ex ejus passione consideramus quid pro peccato incurrimus, et quod nobis patiendum est ut a peccato liberemur, et per ejus exaltationem consideramus quid nobis per ipsum sperandum proponitur. Superata igitur morte quae ex peccato primi parentis provenerat, primus ad immortalem vitam resurrexit: ut sicut Adam peccante primo mortalis vita apparuit, ita Christo pro peccato satisfaciente, primo immortalis vita in Christo appareret. Redierant quidem ad vitam alii ante Christum vel ab eo vel Prophetis suscitati, tamen iterum morituri; sed Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur: unde quia primus necessitatem moriendi evasit, dicitur princeps mortuorum et primitiae dormientium; scilicet quia primus a somno mortis surrexit, jugo mortis excusso. Ejus autem resurrectione non tardari debuit, nec statim post mortem esse. Si enim statim post mortem rediisset ad vitam, mortis veritas comprobata non fuisset; si vero diu resurrectio tardaretur, signum superatae mortis in eo non appareret, nec hominibus daretur spes ut per ipsum liberarentur a morte. Unde resurrectionem usque ad tertium diem distulit, quia hoc tempus sufficiens videbatur ad mortis veritatem comprobendam, nec erat nimis prolixum ad spem liberationis tollendam. Nam si amplius dilata fuisset, jam fidelium spes dubitationem pateretur; unde et quasi deficiente jam spe quidam dicebant tertia die, Lucae ult. 21: "Nos sperabamus quod ipse redempturus esset Israel." Non tamen per tres integros dies Christus mortuus remansit; dicitur tamen tribus diebus et tribus noctibus in corde terrae fuisse illo modo locutionis quo pars pro toto poni solet. Cum enim ex die et nocte unus dies naturalis constituitur, quaecumque parte diei vel noctis computata Christus fuit in morte, tota illa dicitur in morte fuisse. Secundum autem Scripturae consuetudinem nox cum sequenti die computatur, eo quod Hebraei tempora secundum cursum Lunae observant, quae de sero incipit apparere. Fuit autem Christus in sepulcro ultima parte sextae feriae quae si cum nocte praecedenti computetur, erit quasi dies unus naturalis. Nocte vero sequente sextam feriam cum integra die sabbati fuit in sepulcro, et sic sunt duo dies. Jacuit etiam mortuus in sequenti nocte, quae praecedat diem dominicum, in qua resurrexit, vel media nocte secundum Gregorium, vel diluculo secundum alios: unde si computetur vel tota nox, vel pars ejus cum sequenti die dominico, erit tertius dies naturalis. Nec vacat a mysterio quod tertia die resurgere voluit: ut per hoc manifestetur quod ex virtute totius Trinitatis resurrexit: unde et quandoque dicitur Pater eum resuscitasse, quandoque autem quod ipse propria vir-

tute resurrexit: quod non est contrarium, cum eadem sit divina virtus Patris et Filii et Spiritus sancti; et etiam ut ostenderetur quod reparatio vitae non fuit facta prima die saeculi, idest sub lege naturali, nec secunda die, idest sub lege mosaica, sed tertia die, idest tempore gratiae. Habet etiam rationem quod Christus una die integra et duabus noctibus integris jacuit in sepulcro: quia Christus una vetustate quam suscepit, scilicet poenae, duas nostras vetustates comsumpsit, scilicet culpae et poenae, quae per duas noctes significantur.

## CAPUT CCXXXVII.

*De qualitate Christi resurgentis.*

Non solum autem Christus recuperavit humano generi quod Adam peccando amiserat; sed etiam hoc ad quod Adam merendo pervenire potuisset: multo enim major fuit Christi efficacia ad merendum quam hominis ante peccatum. Incurrit siquidem Adam peccando necessitatem moriendi, amissa facultate qua mori non poterat, si non peccaret. Christus autem non solum necessitatem moriendi exclusit, sed etiam necessitatem non moriendi acquisivit: unde corpus Christi post resurrectionem factum est impassibile et immortale, non quidem sicut primi hominis, potens non mori; sed omnino non potens mori: quod in futurum de nobis ipsis expectamus. Et quia anima Christi ante mortem passibilis erat secundum passionem corporis, consequens est ut corpore impassibili facto, etiam anima impassibilis, redderetur. Et quia jam impletum erat humanae redemptionis mysterium, propter quod dispensative continebatur fruitionis gloria in superiori animae parte, ne fieret redundantia ad inferiores partes et ad ipsum corpus, sed permitteretur unumquodque aut agere aut pati quod sibi proprium erat; consequens fuit ut jam per redundantiam gloriae a superiori animae parte totaliter corpus glorificaretur, et inferiores vires: et inde est quod cum ante passionem Christus esset comprehensor propter fruitionem animae, et viator propter corporis passibilitatem; jam post resurrectionem, viator ultra non fuit, sed solum comprehensor.

## CAPUT CCXXXVIII.

*Quomodo convenientibus argumentis Christi resurrectio demonstratur.*

Et quia, ut dictum est, Christus resurrectionem anticipavit, ut ejus resurrectio argumentum nobis spei existeret, ut nos



etiam resurgere speraremus; oportuit ad spem resurrectionis suadendam, ut ejus resurrectio, nec non et resurgentis qualitas, congruentibus indiciis manifestaretur. Non autem omnibus indifferenter suam resurrectionem manifestavit, sicut humanitatem et passionem; sed solum testibus praeordinatis a Deo, scilicet discipulis, quos elegerat ad procurandum humanam salutem. Nam status resurrectionis, ut dictum est, pertinet ad gloriam comprehensoris, cujus cognitio non debetur omnibus, sed iis tantum qui se dignos efficiunt. Manifestavit autem eis Christus et veritatem resurrectionis, et gloriam resurgentis.

Veritatem quidem resurrectionis, ostendendo quod idem ipse qui mortuus fuerat, resurrexit et quantum ad naturam et quantum ad suppositum. Quantum ad naturam quidem, quia se verum corpus humanum habere demonstravit, dum ipsum palpandum et videndum discipulis praebeuit, quibus dixit Luc. ult. 39: "Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere." Manifestavit etiam exercendo actus qui naturae humanae conveniunt, cum discipulis suis manducans et bibens, et cum eis multoties loquens et ambulans, qui sunt actus hominis viventis: quamvis illa comestio necessitatis non fuerit: non enim incorruptibilia resurgentium corpora ulterius cibo indigebunt, cum in eis nulla fiat deperditio, quam oportet per cibum restaurari: unde et cibus a Christo assumptus non cessit in corporis ejus nutrimentum, sed fuit resolutum in praejacentem materiam. Verumtamen ex hoc ipso quod comedit et bibit, se verum hominem demonstravit. Quantum vero ad suppositum, ostendit se esse eundem qui mortuus fuerat, per hoc quod indicia suae mortis eis in suo corpore demonstravit, scilicet vulnerum cicatrices: unde dicit Thomae, Joan. 20, 27: "Infer digitum tuum huc et vide manus meas, et affer manus tuam, et mitte in latus meum." Luc. ult. 59, dixit: Videte manus meas et pedes meos quia ego ipse sum." Quamvis hoc etiam dispensationis fuerit quod cicatrices vulnerum in suo corpore reservavit, ut per eas resurrectionis veritas probaretur: corpori enim incorruptibili resurgenti debetur omnis integritas. Licet etiam dici possit, quod in Martyribus quaedam indicia praecedentium vulnerum apparebunt cum quodam decore in testimonium virtutis. Ostendit etiam se esse idem suppositum, et ex modo loquendi, et ex aliis consuetis operibus, ex quibus homines recognoscuntur: unde et discipuli recognoverunt eum in fractione panis. Luc. ult.; et ipse in Galilaea aperte se eis demonstravit ubi cum eis erat solitus conversari.

Gloriam vero resurgentis manifestavit dum januis clausis ad eos intravit, Joan. 20, et dum ab oculis eorum evanuit, Luc. ult. Hoc enim pertinet ad gloriam resurgentis, ut in potestate habeat apparere oculo glorioso quando vult, vel non ap-

parere quando voluerit. Quia tamen resurrectionis fides difficultatem habebat, propterea per plura indicia tam veritatem resurrectionis quam gloriam resurgentis corporis demonstravit. Nam si inusitatam conditionem glorificati corporis totaliter demonstrasset, fidei resurrectionis praejudicium attulisset, quia immensitas gloriae opinionem excussisset ejusdem naturae. Hoc etiam non solum visibilibus signis, sed etiam intelligibilibus documentis manifestavit, dum aperuit eorum sensum, ut Scripturas intelligerent, et per Scripturas Prophetarum se resurrecturum ostendit.

### CAPUT CCXXXIX.

#### *De duplici vita reparata in homine per Christum.*

Sicut autem Christus sua morte mortem nostram destruxit, ita sua resurrectione vitam nostram reparavit. Est autem hominis duplex mors et duplex vita. Una quidem mors est corporis per separationem ab anima; alia per separationem a Deo. Christus autem, in quo secunda mors locum non habuit, per primam mortem quam subiit, scilicet corporalem, utramque in nobis mortem destruxit, scilicet corporalem et spirituales. Similiter etiam per oppositum intelligitur duplex vita: una quidem corporis ab anima, quae dicitur vita naturae: alia a Deo, quae dicitur vita justitiae, vel vita gratiae: et haec est per fidem, per quam Deus inhabitat in nobis, secundum illud Habacuc 2, 4: "Justus autem meus in fide sua vivet," et secundum hoc duplex est resurrectio: una corporalis, qua anima iterato conjungitur corpori; alia spiritualis, qua iterum conjungitur Deo. Et haec quidem secunda resurrectio locum in Christo non habuit, quia nunquam ejus anima fuit per peccatum separata a Deo. Per resurrectionem igitur suam corporalem utriusque resurrectionis, scilicet corporalis et spiritualis, nobis est causa. Considerandum tamen est, quod, ut dicit Augustinus super Joannem, Verbum Dei resuscitat animas, sed Verbum caro factum resuscitat corpora. Animam enim vivificare solius Dei est. Quia tamen caro est Divinitatis ejus instrumentum; instrumentum autem agit in virtute causae principalis; utraque resurrectio nostra, et corporalis et spiritualis, in corporalem Christi resurrectionem refertur ut in causam. Omnia enim quae in Christi carne facta sunt, nobis salutaria fuerunt virtute Divinitatis unitae: unde et Apostolus resurrectionem Christi causam nostrae spiritualis resurrectionis ostendens, dicit ad Rom. 4, 25, quod traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram." Quod autem Christi resurrectio nostrae corporalis



resurrectionis sit causa, ostendit 1 ad Cor. 15, 12: "Si autem Christus praedicatur quod resurrexit, quomodo quidam dicunt in vobis quoniam resurrectio mortuorum non est?" Pulchre autem Apostolus peccatorum remissionem Christi attribuit morti, justificationem vero nostram resurrectioni; ut designetur conformitas et similitudo effectus ad causam. Nam sicut peccatum deponitur, cum remittitur; ita Christus moriendo deposuit passibilem vitam, in qua erat similitudo peccati. Cum autem aliquis justificatur, novam vitam adipiscitur: ita Christus resurgendo novitatem gloriae consecutus est. Sic igitur mors Christi est causa remissionis peccati nostri et effectiva instrumentaliter, et exemplaris sacramentaliter, et meritoria. Resurrectio autem Christi fuit causa resurrectionis nostrae effectiva quidem instrumentaliter, et exemplaris sacramentaliter: non autem meritoria: tum quia Christus jam non erat viator, ut sibi mereri competeret: tum quia claritas resurrectionis fuit praemium passionis, ut per Apostolum patet Philipp. 2.

Sic igitur manifestum est quod Christus potest dici primogenitus resurgentium ex mortuis, non solum ordine temporis, quia primus resurrexit secundum praedicta; sed etiam ordine causae, quia resurrectio ejus est causa resurrectionis aliorum; et in ordine dignitatis, quia prae cunctis gloriosior resurrexit. Hanc igitur fidem resurrectionis Christi Symbolum fidei continet dicens: "Tertia die resurrexit a mortuis."

#### CAPUT CCXL.

*De duplici praemio humiliationis, scilicet resurrectione et ascensione.*

Quia vero secundum Apostolum exaltatio Christi praemium fuit humiliationis ipsius, consequens fuit ut duplici ejus humiliationi duplex exaltatio responderet. Humiliaverat namque se primo secundum mortis passionem in carne passibili, quam assumpserat; secundo quantum ad locum, corpore posito in sepulcro, et anima ad inferos descendente. Primae igitur humiliationi respondet exaltatio resurrectionis, in qua a morte ad vitam rediit immortalem: secundae humiliationi respondet exaltatio ascensionis; unde Apostolus dicit Ephes. 4, 10: Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes caelos. Sicut autem de Filio Dei dicitur, quod est natus, passus et sepultus, et quia resurrexit, non tamen secundum naturam divinam, sed secundum humanam: ita et de Dei Filio dicitur quod ascendit in caelum, non tamen secundum divinam naturam, sed secun-

dum humanam. Nam secundum divinam naturam nunquam a caelo discessit, semper ubique existens. Unde ipse dicit, Joan. 3, 13: "Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis qui est in caelo." Per quod datur intelligi, quod sic de caelo descendisse dicitur naturam assumendo terrenam, quod tamen in caelo semper permansit. Ex quo etiam considerandum est, quod solus Christus propria virtute caelos ascendit. Locus enim ille debebatur ei qui de caelo descenderat ratione suae originis. Alii vero per se ipsos ascendere non possunt, sed per Christi virtutem, ejus membra effecti. Et sicut ascendere in caelum convenit Filio Dei secundum humanam naturam, ita additur alterum quod convenit ei secundum naturam divinam, scilicet quod sedeat ad dexteram Patris. Non enim ibi cogitanda est dextera, vel sessio corporalis; sed quia dextera est potior pars animalis, datur per hoc intelligi quod Filius considet Patri non in aliquo minoratus ab ipso secundum divinam naturam, sed omnino in ejus aequalitate existens. Potest tamen et hoc ipsum attribui Filio Dei secundum humanam naturam: ut secundum divinam naturam intelligamus Filium in ipso Patre esse secundum essentiae unitatem, cum quo habet unam sedem regni, idest potestatem eandem. Sed quia solent regibus aliqui assidere, quibus scilicet aliquid de regia potestate communicant: ille autem potissimus in regno esse videtur quem rex ad dexteram suam ponit, merito Filius Dei etiam secundum humanam naturam dicitur ad dexteram Patris sedere, quasi super omnem creaturam in dignitate caelestis regni axaltatus. Utroque igitur modo sedere ad dexteram est proprium Christi: unde Apostolus ad Heb. 1, 13, dicit: "Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis?" Hanc igitur Christi ascensionem confitemur in Symbolo, dicentes: "Ascendit in caelum, sedet ad dexteram Dei Patris."

#### CAPUT CCXLI.

*Quod Christus secundum naturam humanam judicabit.*

Ex his quae dicta sunt, manifeste colligitur quod per Christi passionem et mortem, resurrectionis atque ascensionis gloriam, a peccato et morte liberati sumus, et justitiam et immortalitatis gloriam, hanc in re, illam in spe adepti. Haec autem quae praediximus, scilicet passio, mors et resurrectio, et etiam ascensio, sunt in Christo completa secundum humanam naturam. Consequenter igitur oportet dici, quod secundum ea quae in humana natura Christus vel passus est vel fecit, nos a malis tam spiritualibus, quam corporalibus liberando, ad spiritualia